

vita conservationem bene possunt eas comedere. Primò, quia homo habet jus ad conservationem propria vitæ cap. exiti, de verborum significat. cap. Pastoralis §. ceterum, de sententia, & re iudicata l. ut vim ff. de iustitia, & jure. Deinde votum secundum suam naturam ita obligat, nisi aliud gravis necessitas postulet, ut notat Azor. statim citandus. Tertio, nec bonum, nec ingens Religionis reformatio aliud postulat rationaliter loquendo, sufficit enim ad exactam Religionis reformationem, quòd in nullo casu licitum sit comedere carnes, nisi quando est unicum & singulare remedium ad propria vitæ conservationem, ut optimè notant Covarruv. 1. variar. cap. 2. n. 10. Gerson, Medina cum Rodriguez tom. 2. quast. 101. art. in conclusion. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 2. num. 12. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 6. quast. 7. Suar. lib. 6. de legib. cap. 7. num. 9. Salas de legib. disp. 11. sect. 2. n. 23. & 27. Bonacin. tom. 2. disp. 2. §. 8. punct. 2. n. 16. Ex qua doctrina enervantur omnia argumenta contraria.

Probatò quartò, quia mens Pontificis intendit prohibere, ne Moniales ex qualibet causa foras egrediantur, in integrum tamen servans, ut egrediantur in casibus, in quibus ut in incendio, lepra, epidemia militat eadem ratio, quando enim de intelligentia unius legis dubitatur, ex illius narrativa bene colligitur mens legislatoris Baldus in cap. licet delicti. Decius in cap. 2. requirit de appellat. Tiraquel. in l. si unquam §. liberis num. 23. Pius autem V. in narrativa sui diplomatis, decori, & honestati, ait se intendere delere abusum, quo Moniales à monasterio egrediebantur ad visitandos amicos & consanguineos ex qualibet causa, tantumque restringere ad casus necessarios ad conservationem vitæ, ut ad effugendum incendium, lepram, epidemiam, & similia, in quibus intervenit eadem ratio, & simile vitæ periculum.

Dices primò. Ex illa clausula taxativa nulla alia causa, vel pretextu, quæ clausula non excludit similes casus, quia ubi militat eadem ratio, est eadem juris dispositio ex optima epicheia, ac optima legis interpretatione.

Dices secundò. Quòd in casibus præpositis potest fieri extensio ex identitate rationis, quando vertuntur in damnum commune, ac verò in proposito casu agitur de damno particulari. Respondetur & primò. Pius V. in sua constitutione non loquitur de bono communi, seu communitatis, nec in aliqua re talibus concernente, sed absolute, & proposuit illa tria, incendium, lepram, epidemiam, quæ cum extensione, quam Doctores admittunt, ex identitate rationis, procedunt sive damnum sit particulare, sive commune, nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Et confirmatur, in quodam monialium dormitorio grassatur ignis, cum quædam religiosa esset in ultima cellula versus placam, talis incendii causa ipsa potest à clausura exire, & tunc incendium non urget contra bonum commune, sed contra unius particularis commodum. Deinde confirmatur ulterius, nam Doctores contrarii per illam clausulam incendium intelligunt hostium adventum. Suppono quòd unus hostis magno furore raptus

ingreditur unum monasterium insequens unam monialem ad mortem, quæ aliter non valet effugere, nisi à clausura exiens, & tunc valde licite foras egreditur, ut Auctores contrarii fatentur, Rodrig. citat. quast. 39. art. 5. Sanchez citatus, num. 39. Bonacin. de clausura. Monial. punct. 9. num. 6. & alii, quos citat, ac sequitur Barbosa de potest. Episcop. 3. part. allegat. 10. n. 16. Et tamen in hoc casu hostis adventus non versatur contra bonum commune sed unius particularis.

Ultimò confirmatur; quia Rodrig. tom. 1. quast. 49. art. 2. vers. ultimò. colligo, Fr. Hieronymus Rodrig. resol. 26. numero 11. asserunt quòd si quoddam monasterium sit in loco deserto valde distanti ad quem valde difficiliter Medici, Chirurgi, venarumque sectores accedere possunt, tunc inquirunt, potest Monialis licite exire ob remedium vitæ, & illius conservationem, ergo à fortiori in nostro casu ad balnea. Ex quibus constat quòd bulla Pii V. ex identitate rationis, militat quòd damnum vel est commune, vel particulare, & quamvis de hoc magna controversia fuisset olim in hoc regno, hodie tamen valde res est in praxi, & quotannis multæ Moniales ex gravi necessitate exeunt ad balnea.

Facultas autem exeundi à monasterio in prædictis casibus pertinet ad Generalem, vel Provincialem, interveniente consensu ordinarii, ut patet ex Concilio Trident. sess. 25. de Regularibus, cap. 5. de quo Lezana tom. 1. cap. 25. num. 21. Si autem Episcopus noluerit dare talem licentiam, tunc Religionis Prælatum eam concedere potest, ut tenet Suar. citatus tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 9. num. 13. & 19. Et etiam facultatem hanc concedere valet Capitulum Sed vacante, & quamvis talis jurisdictio non sit ordinaria, sed delegata, tamen ex necessitate, eam data potest, ut tenet Quaranta, Capitulum Sede vacante, num. 1. Et in hoc Archiepiscopatu Ulyssipponensi Sede vacante ferè per viginti octo annos multas licentias de hac re concessit Capitulum.

QUESTIO II.

An mulier adultera fugiens maritum, vel delinquens ad evitandos ministros iustitiæ, violet ingrediens clausuram.

SUMMARIUM.

- 14 Oppositæ declarationes faciunt difficultates
- 15 Declaratio pro parte negativa.
- 16 Tres declarationes pro parte affirmativa, & num. 17.
- 18 In casu urgenti mulier admittenda, dummodo non detur recursus ad Papam, & numero 19.
- 20 Ex obaritate admittenda, & quia necessitas non habet legem.
- 21 Ex Epicheia legis videtur admittenda.
- 22 Malefactor fugiens à ministris iustitiæ potest admitti.

Oppositæ Illustrissimorum Cardinalium declarationes magnam difficultatem nobis

Rodrig.

bis faciunt in hac materia; nam extat quædam declaratio ex Bullario Rodrig. 1200. Ubi inter Bullas Clementis VIII. adducens aliquas Cardinalium declarationes factas tempore prædicti Pontificis, ponit hanc sequentem declarationem missam ad Episcopum Salmanticensem anno 1604. cujus hæc sunt verba.

15.

Congregatio consilii respondit, non licere ullo modo Episcopis, vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, ut ex causis supernarratis, (erat autem unus ex casibus ab Episcopo antea propositis apud Cardinales, lites matrimoniales adulterorum, ac dissensionum inter viros, & uxores, monialium monasteria ingrediantur, imò ingredientes incidere in excommunicationem. Quòd si aliquis casus incidere, propter quem expedire videatur concedere talem licentiam, eam omnino obtinendam esse à sede Apostolica. Casu contigit in hac civitate Ulyssipponensi, quòd quædam Moniales ordinario subiectæ, cujusdam mulieris adulteræ ne à viro suo interficeretur miseræ, eam receperunt, Capitulo de vacante annuente, tamen prædictum Capitulum ab Illustrissimo Collectore admonitum de prædicta declaratione, statim præcepit prædictam mulierem à convento ejicere.

Declaratio Cardinalium.

16.

Liber declarationum.

Econtra verò in libro declarationum Cardinalium Antuerpiæ impresso anno 1633. fol. 521. post medium inter declarationes Cardinalium ad Trident. cap. 5. de regular. sess. 25. ponuntur de hac re tres declarationes Cardinalium, quas etiam refert Barbosa ad citatum locum Concilii. Prima est, Mulier conjugata, si in monasterio Monialium, & confisteris, quòd si inde exierit, versabitur in periculo mortis, in monasterio relinquere debet, sed sine ancillis, &c.

17. Declaratio nes Cardin.

Secunda declaratio. Mulier que venit in suspicionem adulterii apud maritum, & ob id timet ne ab eo vis aliqua inferatur permitti debet, ut monasterium ingrediatur monialium, si modo constitutiones monasterii non repugnent. Tertia declaratio. Insuper mulieres, quæ sunt in discordia cum maritis, & eorum savitiam timent, si sunt extra culpam, quandiu justam timendi causam habuerunt, debent si sunt in monasterio tolerari.

18.

Rodrig. Miranda. Zerpla. Barbosa.

Dico tamen, quòd videtur ordinariè loquendo tales mulieres non debere admitti à Monialibus in conventu, nisi in casu valde raro, in quo non est commodus recursus ad Papam, & est grave periculum in mora, & occasio præceps ad evitandam mortem. Ita Rodrig. tom. 2. quast. 46. art. 10. Miranda quast. 2. de Monialibus art. 7. Zerola in praxi Episcop. part. 1. verb. Moniales, §. 12. Barbosa de potest. Episcop. part. 3. allegat. 102. num. 66. Bonacin. de clausura Monial. quast. 4. punct. 3. n. 17. Joan. de la Croce cap. 5. dub. 2. conclus. 3. in fine. Tamburinus disp. 24. quast. 14. num. 1. Pellizar. tom. 2. tract. 10. cap. 5. sect. 3. n. 120. Sanchez in decalog. lib. 6. cap. 16. num. 91. Portel. 2. tom. respons. morali. casu 106. §. dico 2.

19.

Conclusio duas habet partes. Et prima supponit, quòd quando datur spatium, & tempus, recurrendum sit ad summum Pontificem pro impetranda licentia, & in hoc sensu procedit prima declaratio missa ad Episcopum Salmanticensem, quòd si casus incidere licentiam omnino obtinendam esse à sede Apostolica. Quia solus summus Pontifex potest

dare licentiam, ut tales mulieres ad monasterium admittantur, ibi existant, & commorentur.

20.

Secunda pars conclusionis, quòd talis mulier sit admittenda in monasterium, quando periculum urget, probatur à tribus posterioribus declarationibus, in quibus hoc expresse deciditur. Et in primis mulier fugiens à marito, habet jus pro conservanda vita, quia hoc est de jure naturali, quia ut dicitur necessitas non habet legem, cap. querelam de iurjurando, ubi Glossa in verb. Non necessitate. Multa juris loca congerit, sicut & Sebastianus Medices lib. de regimine juris in regula 2. n. 8. Deinde ex parte monialium urget præceptum charitatis subveniendi proximo in tam urgenti, & gravi periculo honoris, & vitæ. Deinde quia videtur, quòd in tanto periculo summus Pontifex non velit restringere facultatem Prælati, imò & Prælatæ, si non detur tempus ad recursum majoribus.

21.

Confirmatur, quia necessitatis causa multa permittuntur, quæ aliàs non permitterentur, cap. si quis propter de fur. Cum ergo in præsentibus casu valde difficilis, imò moraliter impossibilis accessus sit ad Papam, urget periculum vehementissimè in mora, ex epicheia, ac interpretativa voluntate Papæ videtur concedenda facultas à Prælati dandi licentiam ad ingrediendam clausuram monialium. Maxime cum Concilium Trident. sess. 35. de Regularibus, cap. 5. dicat: Dare autem tantum Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis. Quæ verba cum sint generalia non sunt restringenda ad solam necessitatem monasterii vel monialium, sed etiam extendenda sunt ad necessitatem cujusque extranei, si quidem lex loquitur generaliter, ac proinde generaliter est intelligenda.

22.

Confirmatur ex casu difficiliori adducto à Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 16. n. 59. & ait; quòd si malefactor fugiens insequentes iustitiæ ministros, & inveniens portam monialium apertam, poterit sine peccato dictam clausuram intrare, & licite sine scrupulo, & verba Sanchez sunt. At malefactor in eo disamine constitutus non peccaret ingrediendo, si fores apertas reperiret; tum quia præsentaneum periculum ansam maturioris deliberationis præcipit; tum quia jus tuendi vitam, vel grave corporis damnum, ut si poena mortis, aut flagellorum, aut trirerium plerendum esset, ipsum excusat.

Sanct.

23.

In exemplo adducto à Sanchez duo maxime consideranda sunt quæ sunt duriora, & majora, nam Sanchez hoc concedit in homine masculino, in quo castitas Monialium periclitari potest. Secundò Sanchez admittit ingressum malefactoris in clausuram, non solum ad evitandam mortem, sed etiam periculum flagellorum, vel trirerium, hæc autem mulier est in proximo, & evidenti periculo mortis, & hoc ulterius comprobatur ex his, quæ docet idem Sanchez citato 6. 16. num. 60. posse à superiore concedi ingressum intra clausuram Monialium ad deponendas ibi pecunias, si non detur aliquis locus tutus ad eas deponendas, charitas suadet depositum illud admittente, quanto magis suadet charitas, mulierem in tanto mortis periculo admittente.

24.

Ex quo constat, quòd in necessitatibus repentinis,



peninis, & quidem gravissimis, in quibus periculosa est mora, & accessus ad superiorem est moraliter impossibilis, in talibus casibus licentia obtemperata ab Abbatissa, seu Priorissa est sufficiens. Ita Sanchez in decalog. lib. 6. cap. 26. n. 34. Rodrig. tom. 1. quest. 46. art. 2. Azor tom. 1. lib. 13. cap. 8. quest. 8. Pellizar. 2. tract. 10. cap. 5. sect. 3. num. 164.

Sanchez. Rodrig. Azor. Pellizar.

RESOLUTIO XXIII.

Confessoris Regularis Approbatio.

QUESTIO PRIMA.

Confessores Regulares quamvis accipiant jurisdictionem a Papa, indigent approbatione Episcopi.

SUMMARIUM.

- 1 Et si antiquitus Religiosi secularium confessiones sine approbatione Episcopi audirent, hodie post Tridentinum non possunt.
2 Religiosi talem jurisdictionem accipiunt a Papa.
3 Episcopus in approbandis Religiosis habet se tanquam delegatus a Papa.

Bened. IV.

Clem. V.

Trident.

Urb. VIII.

Lezana.

Incipit antiquitus tempore Bonifacii VIII. in extravag. qua incipit Super Cathedram, ipse concessit Regularibus facultatem, ut tantummodo a suis Prælati presentati Episcopis secularium confessiones possent audire, & ulterius tempora Benedicti IX. in alia sua extravaganti, & incipit. Inter cunctas, de privilegiis, etiam sine presentatione, aut alia licentia Episcoporum concessit posse Regulares audire secularium confessiones; tempore tamen Clementis V. in Concilio Viennensi, in Clementina, qua incipit: Dudum, de sepulchris, revocatum fuerit prædictum Decretum Benedicti; & renovatum illud antiquum Bonifacii: tamen hodie post Concilium Trident. ad hoc ut Religiosi audire possint secularium confessiones indigent presentatione, & approbatione Episcoporum, sic ait Concilium sess. 23. cap. 15. Decernit sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, qua gratis detur, obrineat: Et cum postea emanaverit aliquibus Religiosis indultum audiendi confessiones secularium absque prævio ordinarii examine, Urbanus VIII. in sua Bulla anno 1628. qua est apud Bullarium tom. 4. constituit hujus Pontificis 92. cassavit, annullavit & revocavit omnia, & singula talia privilegia cuicumque Religioni concessa, ut observat Lezana tom. 1. cap. 19. num. 2.

Cum hoc tamen stat, quod in ipsa approbatione ad audiendas confessiones aliter se ha-

bent Religiosi, ac Sacerdotes seculares; nam Sacerdotes seculares accipiunt jurisdictionem ab Episcopo, ut a suo Prælato, at Religiosi cum immediatè subjiciantur Romano Pontifici ab ipso accipiunt jurisdictionem: approbatio autem Episcopi tanquam testimonium dantis, ac sententiam proferentis de sufficientia, habilitate, ac scientia talis religiosi requiritur. Ita Navar. in summa, cap. 27. num. 264. Navar. & sequentibus. Suar. de poenitent. disp. 28. sect. 5. Suar. num. 11. & tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 3. Vasquez tom. 4. de poenitent. quest. 93. art. 3. dub. 5. num. 3. & 4. Henriquez lib. 6. de poenit. cap. 6. num. 4. 6. & 8. & lib. 7. de indulg. cap. 28. Veiga in summa, tom. 1. cap. 62. casu 4. Rodrig. tom. 1. Regul. quest. 59. art. 2. & 4. Ledesma tom. 2. summa, cap. 13. circa finem, dub. 1. 6. Esta dada, Crux lib. 2. de privileg. cap. 6. dub. 4. conclus. 3. F. Louis Lopez 2. part. instrum. etor. quest. 17. de clavib. cap. 8. §. 2. & 4. Fagund. gund. præcept. 2. Eccles. lib. 7. cap. 2. num. 8. Pellizar. tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. num. 9. Bordon. tom. 1. Resol. 36. num. 32.

Habent ergo Religiosi jurisdictionem ad audiendas confessiones a Summo Pontifice, ut constat ex Clementina, Dudum de sepulchris, ut latius dicam quæst. sequenti, & Episcopus tanquam delegatus a Sede Apostolica dat testimonium de eorum sufficientia, probitate, ac habilitate.

QUESTIO II.

An regulares sufficientes, & idonei Episcopo presentati, si absque justa causa non fuerint ab eo admissi, & approbati, licite, & valide possint confessiones audire?

SUMMARIUM.

- 1 Prima sententia negat validas esse.
2 Secunda, & vera affirmat.
3 Qua probatur ex Clementina, & multis, & num. 7.
4 Objectione opposita contra Carmelitas, & Augustinianos.
5 Quatuor ordines mendicantes equaliter habent a jure.
6 Alia Religiones ex privilegiis tanquam ex jure, & n. 11. & 12.

Negant validas esse confessiones, quamvis dicant Episcopum peccare, Suar. tom. 4. de poenitent. disp. 28. sect. 5. num. 13. Vasq. tom. 4. de poenit. quest. 93. art. 3. dub. 3. num. 2. Lugo de poenit. disput. 21. n. 52. fol. 509. Coninch. disp. 8. dub. 7. num. 257. Reginald. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 192. Filiucius tom. 1. tract. 7. num. 257. Barbosa in collectanea ad Clement. Dudum, num. 8. Sancius in selectis, disp. 48. num. 16. Sylvius in additionibus ad 3. part. quest. 8. art. 5. quest. 4. Pirigianus distinct. 17. quest. unic. art. 4. dub. 4. Trullench. in expositione Bullæ, lib. 1. §. 1. cap. 1. dubio 8.

Alii è contra affirmant eo ipso tales Religiosos

Suar.

Vasquez.

Lugo.

Coninch.

Filiuc.

5

Navar. Henrig. Cloffa. Rodrig.

Sotus.

Clemeur.

Navar.

Palau.

Trident.

Clementin.

8

giosos esse approbatos. Ita docet Navar. in Manuali cap. 27. num. 264. & 265. Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 4. Glossa in Clementina dudum de sepulchris. Rodriguez in additionibus ad Bullam §. 9. num. 30. & tom. 1. de regul. quest. 51. art. 2. & 10. Sotus, Angelus, Graffius, Cenedo, Palatius, Sylvester, & Alex quos citat, & sequitur Fagundez præcept. 2. lib. 7. c. 2. n. 15. Miranda in Manuali Pralat. tom. 1. q. 4. art. 6. Joan. de Cruce in epitome lib. 2. cap. 6. dub. 1. Villalobos tom. 1. tract. 1. diff. 53. n. 3. Cochier de jurisdict. ordin. in exempi. part. 77. Layman. lib. 5. tract. 6. c. 11. u. 4. Finellus de casibus reservatis c. 3. n. 3. Peyrinus de Religioso subdito tom. 1. q. 1. cap. 2. §. 2. Lezana tom. 1. quest. Regul. cap. 19. num. 3. Lopez cap. 8. de bulla pag. mibi 822. Vivoldus, tom. 1. de absolution. n. 28. Ludovicus à Cruce. quest. 11. Thomas Hurtado tom. 2. tract. 12. c. 1. Caltrus Palau part. 3. tract. 23. disp. unica, punct. 15. §. 3. num. 2. & 9. Pellizar. tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 26. M. Fr. Anton. ab Spiritu sancto direct. regul. tract. 2. disp. 3. sect. 1. num. 6. & directorio confessorior. tract. 5. disp. 13. sect. 7. & æque probable judicat Leand. de poenit. disp. 11. quest. 83.

6. Probatur ex ipsa Clementina Dudum de sepulchris, §. si verò, ubi expressè ex plenitudine potestatis Pontificiæ approbantur Regulares ipso facto presentati Episcopis, si absque legitima causa, sed ex malevolentia, ac odio rejiciantur, & reprobenentur; Atqui tale Decretum non fuit derogatum per Concilium Tridentinum, tum quia Clementina ponitur, ac citatur ad marginem ipsius Concilii, tanquam si ipsam Concilium respiciat, ad ipsamque referatur; tum quia in hoc casu Concilium non videtur procedere, ut observat Navar. cit. Videtur enim alienum à sanctitate ac justitia Concilii, quod intendat favere odio, ac malevolentia Episcopi, si detur, quod absit, contra Religiosos. Tertio, quia privilegium jure communi insertum, indiget speciali derogatione, ut dicam ad finem questionis. Quarto, quia privilegium concessum in Clementina Dudum, loquitur in causa speciali. Tridentinum verò generaliter, quando autem lex generaliter loquitur, non derogat speciali, cujus expressam non facit mentionem, ut multis probat Palau citat. n. 9.

7. Probatur etiam ratione, quia approbatio Episcopi, non est, nec favor, nec gratia, sed quedam judicialis declaratio, qua se habet tanquam judicialis sententia ex justitia; ergo talis sententia iniquè, & sine causa denegata invalida est; nam finis Tridentini ad exigendam approbationem Episcopi est, ne quis indignus admittatur; at si constat quod presentatus est dignus, & sufficiens, contra mentem Tridentini rejicitur, & inde militat dispositio citatæ Clementinae Dudum, & ipso jure est approbatus.

8. Dices tamen, quod licet Clementina Dudum, non sit derogata per Concilium Trid. adhuc non præcedit omnibus Mendicantibus, nec omnibus Religiosis, sed tantum Fratibus Prædicatoribus, ac Minoribus; nam eis tantum est concessa, & de illis tantum agitur, cæteris autem Mendicantibus, ac Religiosis facultas non ex jure competit, ex ipsa Clementina, sed

ex privilegio communicationem, ac proinde talis facultas videtur sublata per Tridentinum.

Occasione hujus argumenti aliqui Auctores, ut Concetes, rcs, ut Concetes, Bassans verb. confessor. 3. Bassans. num. 8. tenent, quod illa facultas concessa in prædicta Clementina solum comprehendat Minores, & Prædicatores, ac proinde quod solum eis competat hæc facultas ex jure. Tamen hi Auctores aperte decepti sunt, quantum ad Carmelitas, & Augustinianos; nam totam ipsam facultatem concessam Minoribus ac Prædicatoribus in ipsa Clementina Dudum concedit Joannes XXI. Carmelitanis, & Joan. XXI Augustinianis in extravaganti: Frequenti de judiciis, ut jam dixi in lectione de legibus anno 1632. & cum Rodriguez, & Joanne à Rodrig. Cruce notarunt Thomas Hurtado part. 2. Cruce. tract. 12. cap. 1. num. 1887. & sicut Clementina est de corpore juris, sic eodem modo; ac æqualiter prædicta extravagantis est etiam de corpore juris, ut cum Rodriguez notant idem Hurtado citatus num. 1892. & Fr. Antonius ab Spiritu sancto in directorio confessorum tr. 5. disp. 13. sect. 7. num. 872. ac proinde quoad quatuor Mendicantes privilegium est de corpore juris.

De aliis verò Religiosis dicendum est, quod prædicta privilegia habentur à quatuor prædictis ordinibus per communicationem, & quamvis eorum privilegia fuerint derogata per Concilium Tridentinum, que usque tunc concessa erant, postea tamen per multos Summos Pontifices fuerunt denuò concessa, ac proinde rectè gaudent dicto privilegio Clementinae Dudum, ac prædictæ extravagantis, ut notat Thomas Hurtado citatus, n. 1893.

Infuper addo, quod privilegia Religionum, cum non sint concessa uni vel alteri personæ, sed toti Religioni, ac communitati, æqui parantur legi, ac perinde habentur, ac si essent in corpore juris inserta, talique conditione gaudent, ut probat Oltradus consil. 400 n. 4. Henrig. vers. Considerandum est. Henriquez post alios lib. 7. de indulg. cap. 22. num. 3. & cap. 24. n. 4. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 1. num. 13. Suar. lib. 8. de leg. cap. 17. num. 7. Salas disput. 20. de leg. sect. 10. num. 90. §. sexto limitatur, Bonac. disp. 1. de leg. quest. 3. punct. 4. §. 1. n. 5.

Tandem privilegia Regularium saltem ex magna parte concessa sunt illis in præmium laborum, quos passi sunt, & quotidie patiuntur prædicatione, ac doctrina Evangelica, proque sanctæ Romane Ecclesiæ defensione, ejusque augmento, & animarum salute, ut ipsi Summi Pontifices testantur in suis diplomatibus, Peirinis tom. 1. privileg. Minor. inconstitut. 26. Leon X. num. 2. & tom. 3. cap. 4. in Additionibus de consil. ejusdem Leonis n. 24. Privilegium autem remuneratorium non revocatur per clausulas communes, & generales & cum Abbate, Felino, Bartol. Alexan. Abbas. d. Odrado Tiraquel. & aliis tenet Suarez Felin. lib. 8. de leg. cap. 37. num. 6. & idem habet Lezana in consiliis, consil. 40. n. 101.

Dices contra: Inter propositiones damnatas ab Alexandro septimo die 2. Octobris anno 1665. Propositio decimatercia ita habet: Satisfacit præcepto annua confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo presentato, sed ab eo

9.

10.

12

Oltradus.

Henrig.

Sanchez.

Suar.

Salas.

Bonacina.

Peirin.

insuffe